

1501 animis, ad vim faciendam se convertit, & virgine per sce-
lus est potitus. Ea re ad Patres celeriter delata, Decemvi-
rum decreto Aloisius Manentius est ad Cæsarem eo ipso die
jussus contendere (is erat Fori Cornelii) questum de inju-
ria tam insigni, quam respublica pro suis in eum beneficiis
nihil meruisset, puellamque repetitum. Posteroque die
Aloisii regis legatus, re a Patribus graviter apud illum ex-
postulantibus cognita, sua sponte ad Cæsarem iisdem cum
mandatis est profectus, cum eam fraudem atque injuriam et-
iam ad suum regem, qui Cæsarem, ut Flaminia potiretur,
adjuvisset, existimaret pertinere. nihiloque secius literæ sunt
ad Alexandrum a Senatu datæ magna cum querela. Sed ne-
que Manentius, neque regis legatus quidquam apud eum va-
luerunt, nedum literæ ad patrem missæ proficerent. perne-
gavit enim ille suo jussu id fecisse, qui puellam rapuissent;
neque se, qui essent, adhuc quidem comperisse: repertis au-
tem raptoribus, cui quidem rei omnem esset diligentiam ad-
hibiturus, se daturum operam, ut & rex, & Senatus Ve-
netus, & omnes homines intelligerent, quam ægre tulerit
suis in finibus id fuisse facinus atque flagitium perpetratum:
puellas sibi non deesse, quas habere facile possit; ne hac tan-
ta cum reipublicæ offensione atque invidia, & suo cum pro-
bro, per vim atque fraudem potiri concupierit. Patres ver-
ba sibi dari intelligentes, cum mittendis nunciis ac literis
multos dies consumpsissent, quod rebus belli ab ea cogita-
tione avocabantur, Carratum, qui ad eos questum vene-
rat, consolati, ejus vindictam sceleris in aliud tempus distu-
lerunt.

*Venetorum
cum Uladi-
slao Panno-
ne fædus in
Turcas.*

Post hæc autem reipublicæ legati, qui ad Uladislauum
Pannoniæ regem anno superiore missi fuerant, ut illum ad
bellum in Turcas incitarent, fædus cum rege aliquando tan-
dem percusserunt: quo ex fædere bellum regi Thracio infer-
re omnibus copiis Uladislauus jubebatur; res vero publica
mille auri libras tribus pensionibus regi Pannoniæ mittere
quotannis tenebatur, quoad bellum esset confectum. Ei fæ-
deri feriendo Alexander & auctoritatem adhibuit suam, mis-
so Roma legato e Cardinalium collegio, & auri libras an-
nuas